



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

513. An, & qualiter subveniri possit ei, qui existens laicus obtinuit pensionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

rus est, ut dictam dispensationem obtineat, tacito scilicet dicto impedimento, valide pensionem impetrare, citantem pro hoc Sylv. v. *excommunicat.* 4. n. 4. eò quòd sub tunc talis impedimenti vita clericalis non censetur rationabiliter gratiam facere subreptitiam; cum proximè accingendus habeatur pro accincto; & quòd parum distat, nihil distare videretur, Nisi forte, uti quandoque fieri solet, reservaretur à Papa pensio laico cum clausula: *quamprimum clericali charactere fuerit insignitus.* Ventrigl. *loc. cit.* n. 13. Paris. l. 6. q. 2. n. 142. quamvis & in hoc casu contrarium tanquam in praxi non semel discussum, & quotidie receptum tenendum esse dicat Corrad. *loc. cit.* n. 182. eò quòd huiusmodi clausula sit conditionalis, eaque referatur ad diem suscepti characteris clericalis, ac propterea ante existentiam & adventum illius diei pensio prædicta non possit dici reservata; cum gratia conditionalis nihil ponat in esse ante conditionis existentiam; unde in ea tempus conditionis inspicendum, non autem tempus Data. Neque oblitare adjectam dictionem *ex nunc*, utpote, quæ in actu conditionali non denotet inchoationem temporis; cum dicta clausula non operetur à tempore Data, sed attendatur tempus impletæ conditionis, non autem prolati sermonis; eò quòd licet ad sit illa dictio *ex nunc*, quæ videtur tempus præsens designare, ad sit tamen etiam illa dictio *ex tunc*, quæ extremitatem temporis & conditionem significet, de quibus vide ulterius eundem Corrad. Unde jam idem rectè concludit n. 192. pensionem reservatam laico cum dicta clausula: *ex nunc pro ut ex tunc* non posse exigì à pensionario, nisi postquam effectus fuerit clericus, & ex tunc tantum pensionem sumere vigorem, & non antea, quòd ad illius exactionem; & sic non posse exigì ipsius pensionis decursos terminos à die data literarum huiusmodi reservationis, usque ad diem, quo effectus est clericus, sed illos percipere titulare beneficii. Notat etiam circa hoc punctum requisiti clericatus tempore reservationis Corrad. *loc. cit.* nu. 172. juxta *decis. Rotæ in Abulens. pensionis*, id procedere in pensionibus ordinariis, quæ à principio reservantur in favorem certæ personæ: factis verò in iis, quæ reservantur quasi in abstracto pro persona nominanda (uti contingit in reservatione super fructibus Episcopatum Hispaniæ juripatronatus regio (subjectorum) ita ut necesse non sit ad esse clericatum tempore reservationis, sed sufficiat ad esse tempore nominationis, quo gratia effectuatur & perficitur (quem admodum sufficit, clericatum ad esse tempore præsentationis, & necesse non est, ad esse illum tempore nominationis, quæ quandoque præcedit præsentationem factam Superiori) non obstante, quòd literæ reservationis expediuntur sub data reservationis, & in iis appelleretur clericus juxta stylum. Quamvis contrarium sentiat Garc. apud eundem Corrad. *loc. cit.* dicens se nunquam potuisse sequi supra dictam Rotæ sententiam. Quin & id ipsum sibi displicere dicat Castrop. *loc. cit.* n. 3. eò quòd tempore Data reservationis persona nominanda debeat habere omnes qualitates requisitas ad pensionem; quia esto, quòd jus non habeat ad pensionem, quousque nominatio accedat, jus tamen non proveniat ex nominatione, sed ex reservatione, cum potestate nominandi; nominatio autem sit quedam conditio, quæ retrahitur ad tempus reservationis.

2. Ampliatur secundò, ut procedat, etiam si lai-

ci extra conjugium in calibatu vivant. Ventrigl. *loc. cit.* n. 14. Lott. *loc. cit.* n. 18. juxta expressa verba dictæ constitutionis Piane.

3. Ampliatur tertio, ut procedat, etiam si laicus quisquam per plures annos incessisset in habitu & tonsura clericali, ita ut communiter reputaretur clericus. Ventrigl. *loc. cit.* n. 16. Lott. *loc. cit.* n. 20. citans Rotam *decis.* 20. p. 3. l. 3. *divers. & decis.* 158. n. 2. p. 1. *recent.* contra Corrad. *loc. cit.* nu. 214. ubi expressè: Licet constituto de incapacitate pensionarii ob defectum clericatus annulletur pensionis reservatio, tamen si illa, aut illius translatio fiat in eum, qui communi reputatione in acceptatione huiusmodi pensionis reputabatur clericus, valebit quidem talis reservatio sive translatio, donec detegatur, eum non esse clericum, ex eo quòd clerico putativo, de cuius clericatu non constabat, nisi per communem reputationem, potest reservari pensio, quia sufficit communis reputatio &c.

Questio 513. An, & qualiter subveniri possit ei, qui existens laicus obtinuit pensionem?

Respondeo, eam esse Papæ non raro pietatem, ut oratori se falso clericum in precibus asserenti, cum sit laicus, ne in hoc quoque casu reservationis pensionis gratia careat effectu, prædictam gratiam revalidet; adeoque pro ea revalidanda preces eidem offerri consueverunt. Corrad. *pr. benef.* l. 1. c. 5. n. 200. harum precum formulam adjiciens. Porro in huiusmodi casu reservationis pensionis, vel etiam fructuum revalidatio petenda in specie ab ipso reservatario, facta mentione supradictæ nullitatis reservationis pensionis ob defectum clericatus tempore dictæ reservationis, nec aliàs prodesse poterit. Corrad. *loc. cit.* num. 201. id fuscè exemplificans. De cetero servari quoque in praxi, ut quandoque ob huiusmodi clericatus defectum tempore dictæ reservationis oratori succurratur per viam novæ reservationis, testatur Corrad. *loc. cit.* n. 211.

Questio 514. An clericus non incedens in habitu clericali & tonsura, sit incapax pensionis?

Respondeo negativè: Nam etsi eum inhabilem ad hoc tradidisset Sixtus V. in priore sua constitutione; postea tamen *constitut. sua* 31. hunc rigorem mitigavit, ut solum pensionarius obligatus sit in habitu & tonsura incedere, dum pensio excedit summam 60. ducatorum de Camera, & postquam pensionem exigere aut percipere caperit, vel per ipsum steterit, quò minus percipiat. Castrop. *de benef.* d. 1. p. 11. §. 3. n. 3. Garc. p. 1. c. 5. n. 13.

Questio 515. An clericus conjugatus, vel etiam bigamus, aut aliàs habens clericatum inæquibilem capax sit pensionis?

1. **R**espondeo ad primum negativè: sic enim expressè disponitur in dicta *Constitut. Pii V.* ut clerici conjugati nullas pensiones aut fructus habere, neque ipsi etiam, qui conjugati non sunt, si ad primas, aut alias nuptias traherint, antiquas deinceps percipere nequeant; clerici verò & alii matrimonium cum unica & virgine contracturi, postquam illud contraxerint, nec antiquas retinere, nec novas assequi possunt. Et sic per dictam *constit.*